





...ad ista momenta ex his de patiente seu de patiente, quae lar-  
...dum dicitur, legem generant, ubi carum quo formae pube-  
...factus et ad testificandum commotus, huius merito testatur. Quo-  
...nam eorum in iure Historiographus natus, lege iudicio-  
...tius prohibita, cum omnino lege situm excedit, si huiusmodi carum  
...in vobis ex...

**SERMONES**  
**ANIMALIVM BRVTORVM**

TESTIMONIIS ATQVE EXEMPLIS

PROBAT  
ATQVE

AD ORATIONEM

VALEDICTORIAM

COMMILITONIS PROBI AC INDVSTRI

INVITAT

**M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.**

**FREIBERGAE,**

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

...ad ista momenta ex his de patiente seu de patiente, quae lar-  
...dum dicitur, legem generant, ubi carum quo formae pube-  
...factus et ad testificandum commotus, huius merito testatur. Quo-  
...nam eorum in iure Historiographus natus, lege iudicio-  
...tius prohibita, cum omnino lege situm excedit, si huiusmodi carum  
...in vobis ex...

**CXXII.**

...ad ista momenta ex his de patiente seu de patiente, quae lar-  
...dum dicitur, legem generant, ubi carum quo formae pube-  
...factus et ad testificandum commotus, huius merito testatur. Quo-  
...nam eorum in iure Historiographus natus, lege iudicio-  
...tius prohibita, cum omnino lege situm excedit, si huiusmodi carum  
...in vobis ex...

...ad ista momenta ex his de patiente seu de patiente, quae lar-  
...dum dicitur, legem generant, ubi carum quo formae pube-  
...factus et ad testificandum commotus, huius merito testatur. Quo-  
...nam eorum in iure Historiographus natus, lege iudicio-  
...tius prohibita, cum omnino lege situm excedit, si huiusmodi carum  
...in vobis ex...



**I**nter alia momenta, ex historia de patiente Iesu deprompta, quae largam disputandi segetem genuerunt, galli cantus, quo Petrus pudefactus et ad respiciendum commotus fuit, merito refertur. Quoniam enim illud animal in urbe Hierosolymitana nutrir, lege Iudaeorum prohibitum erat, omnem fere fidem excedit, si statuas, galli cantantis vocem ex locis remotis potuisse Hierosolymis exaudiri. Quod dubium ut tollerent Iudaeorum magistri, docuerunt, a) per cantum galli clamorem certi viri intelligendum esse, qui singulis mane ante ortum aurorae dicta in urbe socios his verbis excitauit: Sacerdotes, ad opus vestrum! Leuitae ad suggestum! Israëlitae ad stationem! Ad quam sententiam recentiori aetate I. G. ALTMANNVS accessit, gallum, qui Petrum ad poenitentiam excitauit, in buccinatorem vel cornicinem stationarium transformans. b) Alii vero in historia de Petro, per gallum cantantem monito, oculum atque animum ad vocem *Φαυει* c) intendentes, quae hominum est propria, suspicantur, singulari prodigio factum esse, ut gallus, humana voce utens, apostolum ad respiciendum excitaret. Quae sententia non parum ponderis obtineret, si fide omnia digna forent, quae in annalibus rerum publice gestarum de animalibus sermone humano locutis passim leguntur. Homini autem vocem cum ceteris animalibus communem esse, experientia constat, balatusque ouium, latratus canum, hinnitus equorum, barritus elephantorum, mugitus bouum, rugitus leonum, ruditus asinorum, et garritus auium testantur. Et has quidem bestias sonis etiam inarticulatis internos affectus prode, ex eo adparet, ubi, exempli causa, canem audimus aliam vocem formare, quum domino suo adblanditur, aliam, quum irritatus ringitur, aliam, quum cibum petit, et aliam, quum alienos adlatrat. Haec ubi animo complectimur, illius sermonis in mentem venit recordari, qui in libro doctrinae Iudaicae, Talmudis nomen fortito, animantibus brutis passim tribuitur. Quia enim illi homines in sacris litteris colloquium serpentis cum Eua, d) et asinae cum Bileamo legerant, e) immo quia Salomonem docuisse non ignorabant, volucres caelorum clandestina peccata in apricum proferre, f) et lobum homines conuocare ab animalibus instituendos, g) luxurianti suo ingenio seruientes animalium confabulationes vel mutuas vel cum deo, angelis atque hominibus comminisci non dubitarunt. Quo autem consilio hoc fecerint, doctissimus

a) in Gemar. cod. Ioma.

b) in Tempe Heluet. T. IV. Sect. I. p. 1. sqq.

conf. Hadr. *Kelandi* Orat. de galli cantu Hierosolymis audito, in Temp. Helu. T. IV. p. 35. sqq. I. C. *Biel* Comment. in Biblioth. Brem. Cl. VI. p. 1041. sqq. D. G. *Werner* Diss. de Gallo gallinaceo, Petri monitore, Jen. 1728. et Io. *Doitsma* Obs. in Museo Brem. T. I. p. 377. c) Matth. XXVI, 75.

d) Gen. III, 1 sqq.

e) Num. XXII, 28. 2. Petr. II, 16.

f) Cohel. X, 20.

g) Hiob. XII, 7.



finus illius gentis magister; MAMMONIDES h) indicat, scilicet, ut discer-  
tionem ingenii acuerent, et vulgus per fabulas facillime doceretur. Quibus  
WAGENSEILIVS hanc causam addit, i) ut taedium, quod difficillima-  
rum disputationum contentio in animis discipulorum pariebat, magistrum  
hac ratione abstergerent, et dogmata severiora hisce amoenitatibus veluti  
condirent et temperarent.

Hac mente eam figuram, quam Profopoeiam rhetores adpellant,  
frequentissime suis in libris adhibent, orationi, quod sibi persuadent, sin-  
gularem vel gratiam vel gravitatem conciliaturi. Quo sensu Hillelem  
magistrum ceteros scientia longe antecellentem, cum montibus, vallibus,  
arboribus atque herbis confabulatum esse, nugantur. k) Lapidem autem  
verba fecisse, R. Sal. IARCHI l) adfirmat, verba scriptoris sacri: Iacobus  
faxis, quae in eo loco erant, pro pulvino usus incubuit: ita explicans: lapi-  
des mutuo contendere coeperunt, quorum hic dicebat: super me Iacobus  
caput suum ponat: alter autem eundem honorem sibi vindicabat. Quid?  
quod ipsis litterarum elementis facultatem sermocinandi adscripserat?  
Quum enim Deus iam in eo esset, ut mundum conderet, singulas alpha-  
beti litteras à Deo petiisse fabulantur, ut se adiuvantibus in efformanda  
hac rerum universitate uteretur. m) Alio vero loco Deus legitur sermo-  
nem habuisse cum Mem, semel media in dictione clauso, n) et semel in  
fine dictionis aperto; o) alibi autem colloquium litterae Iod cum Deo  
commemoratur. p)

Sed, his missis, eos iam sermones audiamus, quos animalia bruta  
edidisse, iidem Iudaeorum magistri narrant. Et initium quidem ab ea  
columba facimus, quam Noachus, terra aquis levata, ex arca emittebat.  
Namque ad verba historiae sacrae; q) rediit evulsam oliuae folium rostro  
gestans: Talmudistae addunt: r) *columba illa coram deo haec verba loque-  
batur: ô domine mundi, iube cibum meum in posterum tua ex manu porri-  
gendum, neque ab hominibus expectandum.* Pari vero modo etiam corvum  
ex arca ablegatum cum eodem patriarcha disputasse, eiusque consilium  
reprehendisse, alio loco traditur, s) ibique etiam colloquium Noachi cum  
aue phoenice institutum legitur. Imo, quid aliquando anseres cum gallinis ser-  
mocinati sint, eos non fugit. t) Porro audierunt, quid gallus cum gallina  
confabuletur. Ita enim audacter pronuntiant; u) *gallus gallinam ad obse-  
quium permoturus, ait: ego novam vestem tibi comparabo, quae usque ad*

h) in praefat. ad שו"ת. i) in praef. ad Tela ignea Sat. p. 62.  
k) Tract. ספרים Cap. XVI. f. 13. l) Commentar. in Gen. XXVIII, II.  
m) Sohar. col. 15. n) Ief. IX, 6. o) Nehem. II, 13.  
p) Ialkut. Schim. in 1, Reg. fol. 31. nu. 195. q) Gen. VIII, II.  
r) Tract. ערוך f. 18. col. 2. s) Tr. Sanhedr. fol. 108. col. 2.  
t) Eisenmengers Entdeck. Iud. P. I, p. 419. u) Erubhin f. 100. col. 2.



*talos porringet, et cristam meam amittam, nisi promissis stetero.* Neque  
 ea ignorant Iudaei, quae Ionas cum *pisce* disputauit, quum ventre eius pro  
 hospitio uteretur. w) Et quis eum *bouem* non miretur, qui, à sacrificiis  
 Baaliticis immolandus, x) disertis verbis obsequium detraclauit, si fides  
 Iudaeis habenda, qui in eam historiam haec commentantur: y) *Elias ad*  
*sacerdotes Baalis dicebat: accipite duos iuencos, eosque partu gemellos, ex*  
*una matre natos, atque ad unum praesepe pastos. Quo facto sortem conii-*  
*ciebant, exploraturi, uter Iouae et uter Baali esset immolandus? Et ille*  
*quidem recta via neque coactus Eliam sequebatur; hunc vero omnes sacri-*  
*ficuli loco mouere non poterant. Tandem, quum nihil efficerent, Elias*  
*bovem his verbis compellabat: sequere duces tuos. Iuencus autem, audi-*  
*entibus omnibus ac singulis, distincta voce respondebat: quia nos ambo uno*  
*ex utero egressi sumus, iniustum foret, si alter ad deum placandum, alter ad*  
*irritandum adhiberetur. Quam obiectionem Elias ita refutabat, dicens:*  
*etiamsi duces tuos sequeris, culpa tamen vacabis, quia etiam per te nomi-*  
*nis diuini gloria manifestabitur. Quo audito iuencus recessit: ego vero*  
*iuro, me loco non cessurum, nisi tu ipse in manum sacrificulorum me tra-*  
*dideris. Quum igitur Elias hoc tentasset, factum est, quod legitur: y) Baa-*  
*litae iuencum acceperunt, quem Elias ipsis tradebat.*

Porro *serpentes* humano sermone usos, Edomi exitium praenun-  
 tiasse, z) et Davidem alio tempore cum *rana* colloquium habuisse, iidem  
 Iudaei nugantur. a) Huius generis autem assanias ab his ad Muhamedana-  
 nos transtulisse, ex horum Alcorano discimus, in quo eximia Salomonis sa-  
 pientia inter alia ex eo probatur, quod rex ille cum auibus et animalibus  
 brutis colloqui potuit. Quum enim haec aliquando coram Salomone  
 conuenissent, et multitudine premerentur, Salomo, *formicarum* misertus,  
 harum unam ad se vocauit, eique certa verba dixit. Haec vero statim deinde  
 reliquas ita admonuit: iubet ita in caernas vestras recedatis, ne  
 conculemini, b) Et quia *upupa* hoc a conventu abfuerat, rex indignatus,  
 poenam illi inferendam edicebat. Mox vero aduolans ea multis ver-  
 bis se excusabat, quod in regno Sabae fuerit, et reginam ibi viderit, quae  
 solem adoraret. Quo audito, Salomon upupam non solum impune di-  
 mittebat, sed etiam cum litteris et muneribus ad eandem reginam illam  
 ablegabat, eamque ed se inuitabat, c)

Non autem solos Iudaeos et Muhamedanos loquelam brutis ani-  
 mantibus tribuisse, sed gentes etiam profanas eadem et sensisse et docuisse,  
 ex iis intelligimus, quae litterarum monumentis consignata reliquerunt.

Et

w) R. *Elieser* Capitul. c. 10.

x) Ialkut chadafsch f. 26. col. 3. num. 40.

y) 1 Reg. XVIII, 26.

z) Midrasch Cohel. f. 333. col. 3.

a) Ialkut.

chadafsch. fol. 65. col. 3.

b) Surat. Namli. c. 27.

c) l. c.



Et alii quidem in genere de animalibus hoc affirmant, nullam certam speciem nominatim indicantes. Huc pertinet, quod VIRGILIUS memoriae prodidit, ubi prodigia recenset, quae tam caedem Caesaris, quam bellum civile Augusti atque Antonii contra Brutum et Cassium portenderunt, inter quae refert *pecudes infandum loquutas*: d) id quod LVCAEVS repetit, canens: e) *Tum pecudum faciles humanae admurmura lingua*, etc. Omnium autem saepissime boues vocem humanam edidisse leguntur, quod poeta admiratur, audiens, *factum vocales praecinuisse boues*. f) Ita MOSCHVS. g) bouem cum Europa colloquentem ostendit: *τὴν δ' ὠδα προτεφάσεν ἐυφρονέως βεῖς*, h. e. *bos corniger eam adlocutus est*. Et quidem Romae boues humana voce semel atque iterum civium aures atque animos terruisse, scriptores passim testantur. Nam IVLIVS OBSE- QVENS Scipione Nasica, Cn. Martio, Sernio Flacco, Q. Calpurnio, C. Claudio, et M. Perpenna consulibus hoc factum esse, affirmat. h) Inprimis autem vox illius bouis consuli Cn. Domitio terrorem incutiebat, qui LIVIO teste, i) disertis verbis exclamabat: *Cave tibi Roma!* Quam vocem, interiecto tempore, aliquoties repetitam fuisse, idem historiae Romanae conditor affirmat: k) id quod APPIANVS etiam his verbis probat: l) *βεῖς φωνὴν ἀνθρώπου ἀφῆκεν, bos vocem humanam emisit*. Haec VALERIVS MAX. suo testimonio corroborat, ita narrans: m) *P. Volumentio et Servio Sulpicio Coss. bos, mugitu in sermonem humanum converso, novitate monstrum animos omnium audientium exterruit*. Quoties autem hoc fiebat, toties senatum, ad deos expiandos, non in curia, sed sub dio habitum fuisse. PLINIUS docet. n) Simile fere prodigium de Phryxi ariete APOLLONIVS refert, o) qui, quam Helle in ponto submergeretur, ex eo tempore nomen Helleponti nactus, *ἀνδρὴν ἀνδρῶμεν προσήκει, humanam vocem edidit*. Quod T'ZEZES etiam testatur, p) *τὸν κριὸν ἀνθρώπων φωνὴν λαλῆσαι καὶ πᾶσαν αὐτῷ ἐπιβελὴν ἀναγγεῖλαι, hunc arietem humana voce locutum omnes ei insidias aperuisse*. Inter equos autem, humanam vocem imitatos, primum locum occupat Xanthus, generosus ille fortissimi Achillis equus, qui domino suo in bellum profecturo oratione decem versibus constante, mortem vaticinabatur, quam HOMERVS q) repetit, suam de hoc facto sententiam ita exponens, ut statuat, hanc loquendi facultatem diuinitus equo fuisse concessam. Ita enim ille; r)

d) Georg. I 478.

g) in Europ. Idyll. II. 149.

i) Lib. XXXV.

m) L. XII. 3.

L. I.

404. 407.

e) Pharsal. I. 561.

k) L. XXIV. XXVII. XXVIII. LI.

n) Hist. Nat. L. VIII. Cap. 4.

p) in Lycophr. p. 8.

q) Iliad. T. 408. 409.

f) Tibull. L. II. El. 5.

h) De Prodigis Cap. 74. 85. 86. 113.

l) Civ. 4.

o) Argonaut.

r) l. c.



ἰππὸν τὸν δ' ἀπὸ ὑποζυγοῦν πρότερον ποδῶν ἀόλος ἰππός, ἢ ἰππὸν  
 ἀώδηντα δ' ἔθηκε. Dea leucolēnos Ἥγη. h. e. hunc autem à  
 iugo alloquutus est equus celer pedibus, quem pulcra dea Iuno fecerat voca-  
 lem. Ab hoc haud alienum illud prodigium videtur, quod OPPIANVS  
 decantat: s)

ἰππὸς ἐν ὕσμνῃ ἔηξεν ποτε δεσμοῖσιν σιωπῆς  
 καὶ φρεσὶς δεσμῶν ὑπερεδραμῆ, καὶ λαβὼν ἤχην  
 ἀνδρομένην καὶ γλωσσᾶν ὁμιῶν ἀνδρωποισιν. i. e. equus aliquan-  
 do in pugna vincula silentii rupit, et transfiliit leges naturae, adsumens  
 vocem et sermonem humano similem. Talem admirationem etiam equus  
 Adraști, Arginorum regis, Arion dictus, merebatur, quem STATIVS  
 praesagum, t) PROPERTIVS autem vocalem adpellat, canens: u)

Qualis et Adraști fuerit vocalis Arion,

Tristis ad Archemori funera victor equus, etc.

Ex elephantorum classe ille in medium prodeat, quo rex Indiae, Porus, in  
 pugna cum Alexandro M. usus legitur, w) dominum suum his verbis mo-  
 nente: x) Δεσποτά βασιλεῦ, το γένος ἀπο Γηγασίης καταγών, μηδὲν ἐξ  
 ἐναντίας Ἀλεξάνδρου πεινήσης, h. e. domine rex, qui à Gegasio genus ducis,  
 nihil contra Alexandrum proficies, quia hic pro Iouis filio habebatur. Canem  
 etiam loquentum esse, ex Mucio Iustinopolitano y) his verbis MAIOLVS  
 refert: z) Quum Petrus apostolus cani Simonis Magi praecipisset, ut domino  
 suo munitaret, Petrum accessisse, canis absque mora voluntati apostoli satisfacit.  
 Alium canem Arimini in Italia coff. C. Mario et C. Flacco verba fecisse,  
 IVL. OBSEQVENS narrat, a) De mula autem loquente haec litteris prodita  
 prostant: b) Quum reliquiae sancti Stephani protomartyris ex urbe Hieroso-  
 lyma Chalcedonem veherentur, et iam usque ad Constantinopolin perlatae essent,  
 mulae, adstante clero et Metrophane, illius urbis episcopo, subsisterunt, cur-  
 rumque ulterius trahere detrectarunt, neque minis neque flagris commoveri  
 potuerunt. Tandem una earum, omnibus audientibus, haec verba pronuntia-  
 vit: quousque vero laboratis? hoc loco sanctum deponi oportet. Id quod  
 non modo factum, sed eo etiam loco in rei gestae memoriam templum  
 ab Imperatore Constantino M. conditum fuit. Alium autem mulum, in  
 Mesopotamia è terra ascendisse, ἡμίονον ἀνδρωποῖν Φάνη Φεγγομοῖον,  
 humana voce loquentem, et hostium irruptionem in Arabiam praenuntiasse,  
 THEOPHANES testatur. c) Asinum etiam, quo Bacchus veclus fuit, pro  
 praemio vocem humanam retulisse, auctor est HYGIVS. d) Bocchoro  
 autem,

s) Cyneget. L. I. 226. t) Thebaid. VI. 424. u) L. II. w) Curt.  
 L. VIII. 9. x) Plurarch. de flumin. y) Hist. sacr. L. I. c. 20.  
 z) Dier. Canicular. Colloqv. VII. p. 245. a) c. IX. b) Metaph.  
 apud Lipoman. T. VI. ad XI. Aug. c) ad an. 749. d) Astron.  
 L. II. in Cancro.



autem, *agnum* loquentem regis in Aegypto dignitatem praedixisse, EVSE-  
BIVS et FVLGOEVS affirmant: e) quod etiam SVIDAS testatur his ver-  
bis: f) *ἐν Αἴγυπτῳ, ὡς Φαίον, ἀνθρώποις Φωνὴ λελαλῆκε τοῦ μελλόντος.*  
h, e. *agnus in Aegypto, ita dicunt, voce humana futura pronuntiauit.* Ex  
numero animalium volatiliū *psittacus* primo loco in censum venit, cuius  
docilitatem ad formandum sermonem APVLEIVS g) et PLINIVS his  
verbis indicant: h) *ad disciplinam humani sermonis eo est facilior, quo latior  
ei est lingua, quam ceteris auibus, et eo promptius verba hominis profatur,  
patientiore plectro et palato. Id vero, quod dicit, ita similiter nobis canit,  
vel potius eloquitur, ut, eius vocem si audias, hominem putes. Id quod de  
seipso psittacus apud MARTIALEM testatur: i)*

*Psittacus à vobis aliorum nomina discam,*

*Hoc didici per me dicere: Caesar aue!*

ille vero, qui Corinnae in deliciis erat, ab OVIDIO singulari monumento  
cōhonestatur. k) De hoc enim ita canit:

*Non fuit in terris vocum simulantiōr ales,*

*Reddebas blaeso tam bene verba sono.*

et paucis interiectis:

*Pleius eras minimo, nec prae sermonis amore*

*In multos poteras ora vocare cibos.*

porro iam morti vicinus piis verbis dominae suae valedicit:

*Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato:*

*Clamavit moriens lingua, Corinna, vale.*

et, tandem his spiritum exhalat:

*Ora suere mihi plus, aue, docta loqui.*

Haec PLINIVS suo testimonio comprobat, qui, *psittaci*, inquit, l) *super  
omnia humanas voces reddunt sermocinantes.* Inprimis autem memoratu  
dignum videtur, quod ZONARAS refert. m) Quum nempe Basilius impe-  
rator filium Leonem in carcerem coniectum vinculis mancipasset, quod  
patris vitae insidias fecerat, et iam oculos illi erui iussisset, *psittacus*, qui  
servum Leonis, quem habuerat, fidelissimum, hoc domini fatum inflans  
lugentem et clamantem audierat: *ὦ Leo, Leo!* eandem querelam saepissime  
repetiit. Qua voce ira Imperatoris ita mitigata fuit, ut filio veniam daret  
et vitam indulgeret. Corvo etiam sermonem PLINIVS tribuit, n) quem  
futor Romae, imperante Tiberio aluit, consuetudine eo perductum, ut  
singularis

e) De prodigiis L. I.

h) H. N. L. XI. 42.

i) Hist. Nat. L. XI. 42.

f) in ἀέθριον.

j) L. XIV. Epigr. 73.

m) in Basil. M.

g) Florid. p. 348.

k) Amor. L. II. El. 6.

n) l. c. L. X. 43.



singulis mane in curiam protolaret, et primo Tiberium, deinde Germanicum, porro Drusum, et ultimo loco uniuersum populum salutaret. Agmen claudat *cornix*, quam idem PLINIVS refert o) Romae se vidisse ex prouincia Baetica adlatam, et verba iusto ordine pronunciantem. Maiori autem in admiratione illa fuit, quae, SVETONIO auctore, p) paucos antemenses, quam Imperator T. Fl. Domitianus occideretur, in Capitolio haec verba eloquuta est: *ἔσαι πάντα καλώς*. Quae poeta ita transtulit:

*Nuper Tarpeio quae sedit culmine cornix,  
Est bene! non potuit dicere, dixit: Erit.*

Et haec verba boni ominis causa iam merito repetimus, ubi iuuenis felicitis ingenii et probatorum morum,

MICHAEL KLEMMIVS,

*Weigmannsdorf. Misl.*

nostra ex disciplina dimitti iusta cum laude debet. Nam sicut ille cum eximii naturae dotibus inexpugnabilem discendi cupiditatem et impigrum honestatis studium semper coniunxit: ita sibi tantum praesidii linguis et artibus, quas cancelli scholastici capiunt, comparauit, ut non sit, quod de progressibus eiusdem in academia faciendis dubitemus, ut potius verbis corui iam nominati auspicato omnia fausta eidem auguremur: *ἔσαι πάντα καλώς*; Quae his numeris includere liceat:

Nuper quem vidi discentem, his saepe probaui:

EST BENE! dimissum spes comitatur: ERIT!

Antequam vero ille officinam, in qua tirocinia posuit, relinquat, suum esse putat, specimen diligentiae edere, et oratione metrica *Bacchanalia profana* detestari. Quod argumentum eo gratius auditoribus fore speramus, quo ad commodatus ad praesens tempus videtur, quod passim istis illecebris profanatur. Discedentem religiosi votis et precibus prosequetur

*Gottlieb Heinrich Helmricht,*

*Dobrilug. Lusat.*

oda Theotisca *eximium pretium virtutis* complexurus, cuius fundamento vera felicitas hominum innititur, et cuius opera omnia vitae beatae ornamenta comparantur.

Vos, PATRONI ac FAVTORES, ea, qua par est, humanitate rogamus, ut cras, finitis ante meridiem sacris, conatum iuuenum peroratorum exoptatissima Vestra praesentia cohonestare, et Vestrum erga literas elegantiores fauorem declarare velitis, P. P. *Freiberg.*

d. IX. Apr. A. R. G. MDCCLXVII.

o) l. c. p) in Domit. c. 23.



Yb 627

22

ULB Halle  
001 508 164



3

(811148)

TA-204


VD 18











...atque alia momenta ex hisce de patiente seu deponente, quae lat-  
 tem disputandi legentem generant, quae carnis duo lectus, quae  
 factus et ad tribuendum commotus, huius merito, sed non  
 inanimata in iure, hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in quibusdam rebus, hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in quibusdam rebus, hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in quibusdam rebus, hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,

**SERMONES  
 ANIMALIVM BRVTORVM**

**TESTIMONIIS ATQVE EXEMPLIS**

**PROBAT**

**ATQVE**

**AD ORATIONEM**

**VALEDICTORIAM**

**COMMILITONIS PROBI AC INDVSTRI**

**INVITAT**

**M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.**

**FREIBERGAE,**

**Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.**

**CXXII.**

...in Corpore hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in Corpore hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in Corpore hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in Corpore hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in Corpore hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in Corpore hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in Corpore hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,  
 in Corpore hinc inde, hinc inde, hinc inde, hinc inde,

